

# DISSERTATIO THEOLOGICA

Exhibens

Quæstiones Nonnullas ex Articulo

DE

# MAGISTRATU POLITICO

PSEUDO-POLITICIS ALIISQUE OPPOSITAS,

Quam

Goële Fortunante Nostro

SUMME REVERENDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ

CONSENSU.

Sub PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI, MAXIME REVERENDI  
atqve EXCELLENTISSIMI

DN. GEORG. FRIDER.

MESCHER / Rostoch.

Philosophiæ Doctoris, nec non SS. Theologiæ Licentiati,  
DOMINI FAUTORIS, ac studiorum meorum Promotoris  
omni obseqvii & honoris cultu æviternum  
suspiciendi, venerandi

IN

ALMÆ ROSTOCHIENSIS

AUDITORIO MAJORI Anno 1706. d. 14. April.

Placido Clariss. Don. Commilitonum Colloqvio

Sicut

ULRIC. CHRISTOPH. VOEGE,

Semiv-Pomeran. SS. Theol. Studiosus.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Senat. Typogr. a. CXXIV. 25.

37.

coll. diss. A  
44, 28

AD ID O J O V H I R O A T R E S S A D  
GENERALISSIMO atqve ILLUSRI, DOMINO,  
DOMINO

**JOACHIMO CHRISTOPHORO de BECHER/**

Serenissimæ atqve Celsissimæ Mecklenburgensium Viduæ  
Ducissæ Consiliario Intimo, Hæreditario Domino  
de Semlow/ Forckenbeck/ Lübchin &c.&c.

Nec non

GENERALISSIMIS MAXIMEQUE STRENUIS DOMINIS,

**DOMINO PETRO de GODEBEG/**

DOMINO de Semlow/ Forckenbeck &c.

**DNO: FRIDERICO**

**de BIESEN/**

Hæreditario DOMINO de Hünerland &c.

Dominis & Mæcenatibus suis Maximis, & ternum submissè colendis  
*DISSERTATIONEM* *banc THEOLOGICAM*, *Addito pro IPSORUM*  
*salute Omnipotens Voto devotissimo.*

In grati

Pro maximis in Parentem & tenuitatem meam collatis beneficiis.

*animi testimonium*

ad ulteriore sui suorumq; ve licet exiguorum studiorum  
commendationem

*offert & consecrat*

**ILLUSTRIS AC GENERALISSIMORUM  
EORUM NOMINUM**

*Servus ac Cultor submissè devotus*

**ULRICUS CHRISTOPHORUS VOEGE,**



Sächs.  
Landes-  
Bibl.



( 1 )

Goële Fortunante!

# QUÆSTIO I.

*An summa Pateſtas ſt. Maſteſtas immediate ſit à DEO?*

## §. I.



Irca hoc qvæſitum tam variæ & diſſonantes ſententiæ occurruunt, ut celeberrimus *Grotius* adſfirmare haut dubitaverit; rem per ſe haut ita expe-ditam, ex tam variis ſententiis multo impeditio-rem eſſe redditam. Omnia ſententiarum dior-tia in medium producere nec temporis, nec pa-gellarum anguſtia permittit. Nonnulla tamen, qvâ fieri poterit brevitatem, recenſebimus. STEPHANUS JUNIUS BRUTUS, qvi ab Illustri *Bæclero* ſeditioſis annumeratur, in *vindictis contra Tyrannos*, Maſteſtatis inmediatam originem à populo deriva-vit. Qvis genuinus hujus ſcripti autor, de eo adhuc inter erudi-tos diſqviritur? H. *Grotius*, Philippum Mornæum, B. *Zieglerus* Hu-bertum Langvetum, B. *Scherzerus* ad Hulſem. brev p. 644. & cum eo alii Theod. Bezam genuinum hujus ſcripti autorem faciunt. Nos non tam de Autore, qvam de ſententiâ Autoris impreſentia-rum ſolliciti ſumus. JOHANNES MILTONUS celeberrimus ille An-glus in *Defenſ. pro Populo Anglicano contra Claudii Anonymi alias Salmasii defenſionem regiam* iſidem aſſerit: Maſteſtatem originem ſuam habe-re à populo. Hinc ſcribit p. m. 29. edit. in 4. Londini 1657. Reges ea ſolum ratione, qvâ omnia cum maxima cum minima à DEO fieri & conſtitui dicuntur, à DEO eſſe conſtitutos. Et p. 30. Populus, inquit, ubiung, ſine DEO maniſteſto Regem creavit, poſt eodem jure ſuo regem rejeccere. Tyrannum Jane tollere, qvam conſtituere diuinus eſt; plusq; DEI cernitur in Populo quoties iſtitutum abdicat regem, qvam in rege qui innocentem opprimit po-pulum. Plures hujus furfuris floſculos ex hoc ſcripto colligere, nec neceſſarium, nec utile eſt. Erudito Lectori patebit; Miltonium malam cauſam bene defendiſſe. Ab hâc Miltonii ſententiâ non, procul abit Dn. D. *Vuriarius*, cujus verba ap. D. *Jägerum* in *Colleg. MSS. in Grot. L. de J. B. & P.* ita ſonant: *Princeps notorios imperii ſui ter-minos excedens, hoc ipſo definit eſſe Princeps & evadit Privatus, quia tota Potestas,*

A

Potestas,

Potestas, qvæ Principem facit, consistit in Legitimo imperio, ex quo nascitur obligatio in subditos: ubi autem definit in Principe legitimum illud imperium, definit qvæq; subditorum obligatio. THOMAS HOBBIUS in tract. de cive (ex quo ultro seqvinton Machiavellismum modo, sed & Atheismum pronuntiat Dn. D. Sonntag in Disp. de superem. Mag. Christ. p. 26.) defendit; Originem summæ potestatis esse à mutuo metu tanquam à causa movente & impellente, proximam autem efficiendum esse pactum. Illustris SAMUEL PUFFENDOFFIUS, cuius summam eruditionem submisso animo veneramur, in Tract. de J. N. G. Lib. VII. c. III. §. 1. statuit: summum imperium proxime & immediate resultare ex pactis, qvibus civitas coaluit, posita sc. in populo submissione, & in altero Rege sc. vel Principe submissionis acceptatione, tanquam qualitatem quandam moralem; Nec tam duci posse, quod Princeps jure tantum humano imperium habeat, cum DEUS velit & pobet imperia: Nam cum in magna hominum multitudine Lex naturalis commode exerceri nequeat contra imperium civile, patere DEUM qui legem istam hominibus injunxit, præcipere quoque ut Societates civiles instituantur, quatenus tanquam media excolendæ legi naturali inserviant. DN. D. KULPIS ap. Jägerum, c. I. hâc de materia differens, distingvit inter causam universalem & proximam: DEum Imperii civilis causam esse universalem, utpote à quo imperandi & parendi ordo sit institutus. Proximam vero esse pacta hominum in civilem Societatem Coëuntium, ex illis enim majestatem tanquam qualitatem moralem resultare, qvæ sententia judice celeb. Jägero non nisi in modo loquendi differt à Puffendorffiana. TESMARITUS mavult cum communiore sententia distingvere inter mediatum & immediatum; summam potestatem in Rege aut Principe non esse à DEO immediate, sed mediate. DN. OBRECHTUS in Observat suis ad Grot. distingvit inter essentiam & existentiam: civitatem ait, esse subjectum summæ potestatis ratione essentiæ; Regem autem vel Principem esse subjectum Existentiæ, qvæ Philosophia ex imis Metaphysicæ visceribus desumpta esse videtur. Alii adhuc aliter sentiunt. Communis autem nostratrum Theologorum sententia est, summam potestatem esse immediatè à DEO; designationem personæ in Regnis electivis stare apud populum, eaq; à magni nominis JCtis & Politicis, qvin & à

& à Patribus jam dudum approbata est, ceu ex infra dicendis luctulentissimè constabit.

§. II. Ut nunc tandem exponamus, quænam ex hactenus adductis sententiis nobis placeat, salvâ dissentientium autoritate ultimam illam in nos defendendam sumimus. Ante quam vero argumenta nostra adferamus, quædam supposita præmittenda erunt (I.) est. Potestatem hanc, quæ in Regibus dicitur Majestas, non esse aliquid physici, quasi à DEO infundatur Règi, aut Principi per modum qualitatis, sed esse aliquid morale, ortum ex dispositione divinâ, quâ per Legem quoque sancivit, ut potestas hæc sit sancta & inviolabilis, & cui resisti non debeat: sicut ergo legum divinarum autoritas & vis coactiva non est aliquid physici, sed morale, ita nec potestas & vis imperativa in Regibus vel Principibus. (II) De summâ potestate s. majestate non ex modo habendi iudicandum esse, uti quidem facit Hobbes summam potestatem esse judicans, quæ per successionem defertur, non autem quæ per electionem, in Leviath. c. 19. p. 96. Perinde etiam esse, sive quis regnum possideat jure pleno proprietatis, sive diuturno, sive temporario, cum duratio ad essentiam potestatis summæ nihil conferat. vid. Hugo Grotius de J. B. & P. I. I. cap. 3. §. n. p. 95. sqq. Zuglerus de jur. Majest. lib. I. c. I. §. 41. 42. Conringius in Dissert. de Regn. §. 4. dissentientibus Hobbes de Cive cap. VII. §. 16. p. 134. Bodino de Repub. Lib. I. r. g. in princip. Puffendorff. de jure Nat. & Gent. Lib. VII, c. 6. §. 15. p. 974. aliisque. Quæ ad nominis majestatis evolutionem pertinent, tradunt Magnif. Dn. D. Petrus Mascovius & Cris. Gryphio Waldensium longe celeberrimus, Affinis noster filiali cultu prosequendus in Disp. de jure majestatis Ecclesiastico Cap. I. §. 3. Celeb. Job. Christoph. Rosseckerus in Disp. de Precipuis majest. juribus, Gedan. Anno 1688. habit: M. Augustinus Lemnius in Disp. I. de Orig. Majest. civilis §. 1. sqq. Wittenb. An. 1687. habet: Nunc dico: Majestas immediate est à DEO. Prob. (I) ex Scriptura S. & quidem (a) ex Prov. VIII. 15. 16. ubi Salomon asserit; Per Sapientiam Reges regnare & potestates decernere justitiam. Sapientia h. l. non denotat creatam, sed increatam, non habitualem prudentiam, sed sapientiam personalem, h. e. Filium DEI, id quod luculenter evincunt prædicata v. 14. occurrentia: Ubi hæc Sapientia dicit: meum est consilium, mea est prudentia &c. quæ non nisi personæ subsistenti competunt. Conf. B. Job. Adamus Osiander

A 2

in

*in Typo legis nat. p. 21.* Nunc arguo : Qvicunqve per sapientiam in-  
 creatam regnant, illi suam majestatem s. summam potestatem ab  
 increata illâ sapientia habent, non vero ab hominibus contradic-  
 tis sapientiae increatae atque hanc potestatem instituentis.  
 Atqvi Reges per sapientiam increatam regnant. Ergo. Major pro-  
 positio ex ipsis terminis constat, ubi tamen observes velim parti-  
 culam PER non causam instrumentalem, sed principalem & im-  
 mediatè producentem denotare. vid. B. *Sibererus* in System p.  
 719. Minor fundata est in dicto. Ulterius arguo : uti huic Sapien-  
 tiae tribuitur creatio, qvæ est immediata operatio, ita per sapien-  
 tiam hanc reges regnant immediatè, non mediate per homines.  
 Prius textus evidentissime evincit: posterius ex eo probatur, qvia  
 si regnant reges per homines, seqvitur ; homines proximus in-  
 fluere in illam potestatem quam DEus, qvod tamen textui adver-  
 fatur, à cujus litera non recedimus nisi nos cogat summa necessi-  
 tas (b) *ex Rom. XIII, v. 1. sq.* Non est potestas nisi à DEO. Qvibus ver-  
 bis DEO tanquam unicæ causæ origo summæ potestatis adscribi-  
 tur. Nam particula exclusiva NISI omnem concursum sive coef-  
 fidentiam aliam excludit, & nullum aliud principium admittit  
 præter solum DEum. Hoc patet ex ipso contextu ; addit enim  
 Apostolus : Quæ autem sunt potestates, à DEO sunt ordinatæ s. con-  
 stitutæ. *Grotius de J. B. & P. I. 2. 7. & cap. IV. §. 4. num. 1.* & cum  
 eo, ut videtur, celeberrimus Dn. D. *Becmannus* Medit. Polit. XII.  
 §. 4. ultima hæc verba ita exponunt ; à DEO sunt ordinatæ i.e. ap-  
 probatae & quasi ordinatæ & constitutæ, conf. B. *Osiander*,  
 in Comm. in Grot. & B. *Zieglerus* in Grot. Porro confirma-  
 tur nostra expositio hac ratione: Sicut alias Theologi Orthodo-  
 xi recte colligunt ; justificationem nostram unice esse ex FIDE,  
 citra concursum bonorum operum, qvicquid etiam Pontificii,  
 Pietistæ aliquæ ogganniant, qvia Gal II. 16 dicitur hominem non  
 justificari NISI per fidem : ita pariter emphasis hujus particulæ  
 hoc loco merito urgetur. De cœtero lege in hæc verba B. *Gerhar-*  
*dum L. de Magistr. S. 34.* B. *Calovium* in Theol. Apostol. Rom. Orac. LXXIX.  
*p. 442.* *Coccejus Tom. IV. opp. Comm. in Ep. ad Rom. f. 564. sq.* Hisce scri-  
 pturæ dictis (c) ea adjungi poterunt, in qvibus peculiaria nomi-  
 na Regibus Principibusq; tribuuntur. En! appellantur *vicarii DEI*  
 2. *Paralip. XIX, 6.* non populi: Cenf. Sap. VI, 5. Argumentor:

Qui-

Qvicunqve sunt vicarii DEI, non Populi, illi suam potestatem & Majestatem non à populo; sed ab ipso DEO acceperunt. Atqvi Reges Principesqve sunt vicarii DEI, non populi. Ergo. Conse-  
quentia majoris firmo stat tali, qvia vicarius potestatem suam vi-  
cariam à principali accipit & plane non à Populo. Sic Vice-Rex  
Neapolitanus non accipit à Populo potestatem, sed à Rege Hispa-  
niæ. Minorem propositionem ipsum dictum confirmat. Porro  
vocantur *Ministri DEI* Rom. XIII, 4. At vero qvi minister est, ille  
potestatem à Domino, non ab alio accipit, conf. *Dn. M. Lemmius c. l.*  
*§. XIX. 19.* Ex hactenus dictis, qvilibet facili negotio colligere  
potest, distinctionem *Dn. Tefmarii* aliorumqve inter mediatum &  
immediatum, qvasi Populus habeat immediatè majestatem eamq;  
conferat, DEus vero mediate, haud subsistere posse. Unde enim  
populus eam accepit potestatem? aut à se, aut à DEO. Non à se,  
hoc ipsa sana ratio dictitat. E. à DEO. Ex mente *Tefmarii* sensus  
verborum Pauli hic esset: Vos populus, qvi immediate à DEO  
summam potestatem accepistis, estis minister DEI; Rex vero in  
qvem vos transtulisti hanc potestatem, est minister vester imme-  
diatè & non DEI, nisi mediate & reductivè. Atqvi ita Rex mini-  
ster est DEI, qvatenus est ministrorum DEI. Qvæso qvid hoc a-  
liud est, qvam verba Spiritus Sancti in alienum torquere sensum?  
Hoc sane si Apostolus dicere voluisse, sine ambagibus & expres-  
sis verbis mentem suam declarasset h. m. Imperator vester, imme-  
diatè est minister vester; à vobis primo dependet ejus autoritas &  
Majestas & mediate à DEO. At vero hoc non dicit, sed Reges &  
Principes c. l. ministros DEI appellat, nunquam vero populi. In  
hac ergo sententia persistendum est, ne ipsum Spiritum S. qvi est  
spiritus veritatis, impudenter reformare videamur. Prob. (II.) *Ra-  
tionib.* & qvidem (1) Si vis obligativa in legibus Regum & Princi-  
pum, aliorumqve, qvi summâ gaudent potestate, non nisi à solo  
DEO immediate provenit, seqvitur, Potestatem Regum Princi-  
pumqve originem habere à DEO. Atqvi prius verum est. Ratio;  
qvia obligatio illa non tantum ad actum exteriorem, sed etiam  
pertinet ad usqve conscientiam eamq; stringit. Jam vero notum  
est, forum conscientiæ plane non pertinere ad populum, sed tan-  
tum ad DEUM; vid. B.D. *Jac. Henningii Disp. de Dominio conscientiæ lo-  
li DEO vindicato.* Posterius ex eo suum accipit robur; qvia summæ

## DE MAGISTRATU

potestates in legibus suis & per eas etiam inducunt obligationem in conscientiam vi potestatis. (2) Sicut Patria potestas originaliter est à DEO & fundatur in præcepto quarto legis moralis, ita & potestas illa summa, sive in Monarchia, s. Aristocracia, s. Democracy resideat, ab eodem autore proficiuntur & in eadem lege fundata & stabilita est. Nam præceptum de honore Parentum observioq; illis debito etiam apud Gentiles ita acceptum est Magistratura & explicatum, ut Parentum vocabulo omnes significarentur, qvi aliis imperio præsunt. Hoc supposito, ex illo Decalogi dictamine omnis imperandi parendique ordo derivatur. Vid. Bæclerius Comm. in Grot p. 199. conf. B. Theod. Thummius in Explicat. Decal. p. m. 162. sq. Prob. (III.) *Testimonis tam Theologorum, quam Ictorum.* Theologicomuniter ita sentiunt. conf. B. Gerhardus in LL. Theol. L. de Magistr. Polit. B. Matthias Hafenrefferus in LL. Theol. p. 597. B. Albertus Grauerus in Praelect. in A. C. P. II. p. 341. sq. B. Bartholom. Battus in A. C. P. III. Disp. II. §. XXIII. sq. B. David. Lobeckius in A. C. Disp. XVIII. p. 404. B. Scherzerus in Brev. Hulsem. 1551. B. Rudrauff in Instruct. Theol. L. de Mag. Pol. B. J. A. Osiander in annot. ad Grot. th. 6. B. J. ac. Henningius in Disp. de Jure fidelium Ec. Magnif. Dn. D. Fechtius in Syllog. Controvers. Disp. XLIII. tb. V. Christ. Röhrensee in Disp. de Maj. Civil. orig. Ex JCtis idem adserunt B. Zieglerus in Grotium p. 126. sq. Salmasius in Defens. reg. B. D. Andreas Amselfius in Disp. de majoribus Majestatis juribus, quam A. 1682. Rostochii sub ejus præficio defendit Illusterrimus comes Adamus Ludov. Löwenhaupt c. i. s. i. aliiqve, ut hâc vice Patres, qvi magno numero pro hâc sententiâ stant, silentio prætereamus.

s. III. Nunc ordinis ratio postularet nostrum de supra adductis sententiis judicium ; cum vero prolixum nimis foret, omnes illas sub examen vocare, hac vice saltim rationes Illustris Puffendorffii, qvibus suam sententiam corroborare conatur, modeſtè ponderabimus. Obvertit autem ille (I) *Si potestas aut majestas in Regibus immediate esset à DEO, tum sane æqualis esset in omnibus Regibus & Principibus, easdemq; haberet proprietates, durationis, perpetuitatis aut successioni, vel si quæ aliae sunt. At hanc æqualitatē non esse patet, in qvibusdam enim est potestas simpliciter monarchia, ut in regno Turcico, aut Gallico, in qvibusdam cù temperamento Aristocracia, uti est in Imperio Romano; item qvibusdā regibus dāra est potestas non solum Personæ, sed etiam ejus generationi, ut sic dicam i. E. ut possint ad Filios vel nepotes dignitatem transferre, aliovero datur proper- sona*

sone imperante tantum & sine successione protu, uti est in regno Polonie. Varia itaque ille dominandi rationes nonsunt ab institutione divinâ, sed ab humana, ab cæ enim talis varietas provenit. Resp. (I) Recte docent supra allegati Politici Supp II. durationem nihil conferre ad essentiam summæ potestatis, nec ex quantitate extensiva, sed intensivâ qualitate summam potestatem dijudicandam esse, cum non quam multis, sed quam libere aliquis imperet, videndum sit, adeo ut Regia potestas, unius licet provinciæ, imo urbis, modo superiore aut æqualem in civitate non agnoscat, summa tamen sit maneatque potestas. conf. Dn. Rostenscherus c. l. p. 5. §. III. Resp. (2) Licet determinationes, restrictiones & limitationes potestatis talis sint ex pacto, recte tamen dici nequit, quod potestas ut talis, ex pacto resultet, ut Puffendorffus putat, si enim ex pacto humano resultat, quomodo potest esse originis divinæ? conf. Franciscus Burmannus in acon. fæd. Lib. VIII. Tom. II. c. LX. p. m. 505. sq. Obvertitur (II.) Petrum in Epist. I. c. II. v. 13. dicere: Parendum esse Magistratui tanquam humana creatura. Si ergo parendum Magistratui, tanquam humana creatura, tum sane illi non potest ostendiri tanquam à DEO immediate existenti, alias enim non esset humana creatura; Sed divina, quod enim immediate à DEO est, id non humanum, sed divinum est. Resp. (1) Comittitur heic fallacia ψευδερμηνεια. Nam magistratus dicitur humana ordinatio, (a) objective, quod inter homines fiat & ex hominibus desumatur (b) effectivè, quod instrumentaliter per hominum consilia constituitur, uti formæ rerum publicarum ab hominum consiliis illas constituentibus pendent, ut ut non sine divinâ providentia (c) quia in commodum humanæ societatis destinantur & ordinantur. Vid B. Schomerus in Exeg. in b. I. Fridem, Bechmann in Annot. ad Hurt. Lœ. XXVII. p. 788. §. 8. Christoph. Bonntag in Diff. de Supereminentia Mag. Christ. A. 1702. Altorsi habit. p. 8. §. 7. B. Battus c. l. §. XXV. Lobeckius c. l. p. 404. §. 8. & 9. Nicolaus Arnoldus in Luce in Tenebr. P. II. ad b. I. Job. Coccejus Tom. VI. Opp. fol. 748. Resp. (2) Magistratus expresse vocatur ordinatio divina Rom. XIII, 1. conf. quæ supra dicta sunt. Excip. ad rationem 2. supra datam: Circa quartum preceptum Decalogi, quo obsequium erga imperium civile sancitur, observandum est, per illud non excludi causas proximas, quibus imperium productum fuit. Scut preceptum de furto non faciendo, originem Domini non excludit. Resp. (I.) Omnino per præcepta legis moralis excluduntur causæ proximæ. Et impium sane est dicere

cere, DEUM tantum esse causam remotam hujus præcepti, causas autem proximas esse homines, populum V. gr. causa remota non attingit ita effectum, uti causa proxima, qvis autem affereret vim imperandi, qvæ in quarto præcepto sancitur, non ita attingere DEum, qvemadmodum attingit populum. (II.) Legem moralem poenam dictare maledictionem æternam vel Tyrones norunt; an autem DEUS tanquam causa remota, & populus tanquam causa proxima hanc dictant maledictionem? (III.) Instantia ex præcepto de furto non faciendo desumpta nostram veritatē non infringit, multo minus destruit. Nam origo dominiorum non est causa proxima furti, sed est hypothesis quædam, ut celeb. Jägerus loquitur, non causativa furti, sed ipsi è diametro contraria, nam ut dominia rerum in yado essent, ideo furtum est prohibitum, non productum. Plura circa hanc controversiam qui desiderat, conferre poterit M. Lemmii *Dissert. Polit. post. de Majest. Civil. divin. orig.* §. XI. 179.

## QUÆSTIO II.

*An Magistratus habeat potestatem propagandi religionem per violenta media?*

### §. I.

**P**ro affirmativa sententiâ omnibus lacertis militant sangvinarii PONTIFICI, quorum communis vox est: Hæretici ferro & igne necandi sunt. Conf. ex multis *Thomas* 2. q. 6. art. 8. *Gregorius de Valencia* t. 3. disp. 1. q. 11. *Bellarminus* t. 3. de *Laicis* c. 21. *Gretserus in Vitâ Ignatii Loyola* t. 2. c. 6. eamque ipsâ praxi satis confirmant. Hinc religionem universam unius hominis, Pontificis sc. Romani, placito & nutui subjiciunt. Quam sententiam in systematisbus Theologorum passim refutatam vide. conf. B. Jacob. *Henningii Disp. de Dominio conscientiae soli DEO vindicato* A. 1686. *Gryphius. habit. Dn. D. Libberri Disp. Inaug. de propagar. fidei* Sc. A. 1698. sub *præsid. Magnif. Dn. D. Quistorpii habit.* Placet tamen eadem sententia quibusdam PSEUDO-POLITICIS, quorum in numerum jure merito refertur (I.) THOMAS HOBBES, qui Religionem juxta cum discrimine boni & mali generatim à nutu Principis suspendit, & ad leges civiles, quæ in ipsius sunt potestate, satis audacter reducit. Conf. si placet *Tract. de Cive* c. VI. Artic. 9. & c. XII. p. m. 190. (II.) BENEDICTUS SPINOSA, qui in *Tractatu Theol. polit.* inter alia hæc producere haut veritus est: Sa-

674

era Christianorum solus Juris summarum potestatum esse, neminem nisi ex eorum auctoritate vel concessu, jus potestatemq; eademque administrandi, eorum ministros eligendi, Ecclesie fundamenta iugis Doctrinam determinandi & stabiliendi, de moribus & pietatis actionibus judicandi, aliquem excommunicandi, vel in Ecclesiam recipiendi, nec deniq; pauperibus providendi habere.

§. II. Nos negativam amplectimur. In antecessum autem supponimus ; Falsum esse, discrimen boni & mali, justi & injusti promiscue & simpliciter ab arbitrio magistratus dependere, ut statuit Hobbius supra allegatus. Probo suppositum (I) qvod cultum DEI attinet, is non ex hominis, sed ipsius DEI voluntate addiscendus est. conf. Matth. XV, 9. Idque non tantum privati homines, sed & speciatim illi, qui coronâ & sceptro præfulgent observare tenentur. vid. Deut. XVII. 18. 19. (II) nec justi injustique moraliter spectati ratio Principis nutui arbitrioque relictâ est. Illa enim omnem principum voluntatem antevertit ; Magistratui auctorateni, subdito obsequium, omnibus mutuum amorem imperat. Cordibus & magnatum & inferiorum adeo firmiter impressa, ut autoritate humana minimè evelli possit Rom. II. 14. conf. B. Henningius c. I. Hoc supposito assertionem hanc adversariis oppono : *Magistratus non habet potestatem propagandi religionem per violentia media.* Prob. (I) qvia Magistratus non habet Dominium in conscientias vel non potest conscientias cogere. Arguo : Qvicunq; non habet dominium in conscientias, ille qvoq; non habet potestatem propagandi religionem per violentia media. Atqui Magistratus non habet dominium in conscientias. Ergo. Majoris veritatem qui non videt, eum talpâ cœciorē esse oportet Quid enim propagare religionem per violentia media, aliud est, qvā sibi dominium in conscientias vindicare? qvid aliud est, qvam cogere conscientias? Minorem hoc pro syllogismo adstruo : Qvicvid (1) soli DEO competit. (2) omne potestatis humanæ fastigium longè transcendent. (3) eosq; ve, qui summa gaudent potestate, ligat ac obstringit ; illud Magistratui adscribendum non est. Atqui Dominum in conscientias (1) soli DEO competit (2) omne potestatis humanæ fastigium longè transcendent (3) eosq; ve, qui summa potestate gaudent, ligat, ac obstringit. Ergo. Majoris veritas iterum in aprico posita est. Minorem qvoad singula membra probo. *Primum membrum hoc est: Dominum in conscientias soli DEO competit.* Arguo : Qvodcunq; Deus solius, in quo leges scribit, & templum, in quo habitat, sibi fecit,

B

in

in illud soli DEO competit dominium. Atqui cor humanum (quod sumitur pro conscientia i Sam. XXV. 31. Ezech. XIV. 5. 1 Joh. III. 20. 21.) Deus sibi solium ac templum fecit. Ergo. Majoris consequentia ex eo probatur; quia nemo mortalium loca soli DEO sacra privati juris aut usus facere potest, nisi sacrilegium committere velit. Minor fundata est in ipsis sacris literis conf. Prov. XXIII. 26. Jerem. XXXI. 33. 1. Cor. III. 16. Secundum membrum hoc est: *Dominum in conscientias omne potestatis humane fastigium tongue transcendir.* Argumentor: Ad quodcumque vere quiritur virtus infinita, lux coelestis, vis verticordia, illud transcendit omne potestatis humanae fastigium. Atqui ad Dominum in conscientias requiritur virtus infinita, Lux coelestis, vis verticordia Ergo. Ulterius argumentor: Qvicunq; non habet virtutem infinitam, lucem coelestem, vim verticordiam, illi nec competit dominium in conscientias. Atqui Magistratus non habet virtutem infinitam, lucem coelestem, vim verticordiam. Ergo. Major ex antecedenti patet. Minor probatur hoc Syllogismo: Qvodcumque in sacris literis soli DEI tribuitur, illud magistratui, qui a DEO suam habet autoritatem, haut competit. Atqui virtus infinita soli DEO in sacris literis tribuitur, E. Major ex terminis constat. Minoris probatio in promtu est. Quæso, quis est, qui nos illuminat? DEUS. Psal. CXVIII, 27. Quis est, qui cor novum in nobis creare potest? respondet David; Deus Ps. L, 12. Quis est, qui corda hominum fletit, cognoscit & scrutatur? Deus, Ps. XXXIII, 15. Prov. XXI, 1. Prov. XVII, 3. 1. Reg VII, 39. & ille quidem solus Jer. XVII, 9. 10. Nunc iterum arguo: Qvicunq; nec jus ad Dominum, nec potentiam in Dominio requisitam, nec vires cognoscendi habet, ille temere sibi vindicat Dominum. Atqui Magistratus &c. Ergo. Res in propatulo est. Tertium tandem membrum ita sonat: *Conscientia eos quoque, qui summa gaudent potestate, ligat ac obstringit.* Argumentor: Quidquid eos quodcumque, qui summa gaudent potestate, ligat ac obstringit, illud ab ipsis vim & modum non capit, nec sub coactionem civile eadit. Atqui conscientia &c. Ergo. Consequentia majoris probatur; quia facultas leges scribendi exprimit, ubi ad legem superioris adstricta est potestas. Minorem confirmant loca scripturaræ Rom. II, 6. Act XVII, 31. conf. B. Frid. Balduinus in Cai. Conf. Lib. II. c. 6. p. 197. Prob. (II.) quia propagatio religione per media violenta non ser-

nam dat mentem & pacem. Arguo: Qvicqvid conscientiam non pacat, sed turbat & sub terroribus relinquit, illud illicitum est. Atqvi propagatio religionis per media violenta conscientiam non pacat, sed turbat, & sub terroribus relinquit. Ergo. Majorem confirmat scopus conversionis, qvi est traducere conscientiam in meliorem statum & extra condemnationis æternæ periculum pone-re. Minor ab ipsâ experientiâ variisqve exemplis dudum compro-bata est. Prob. (III). quia propagatio religionis per media violenta cum praxi ab ipso Spiritu S. præscriptæ, à Christo ejusq; Apostolis adhibitæ, tum primitivæ Ecclesiæ repugnat. Argumentum hoc erit. Qvicqvid repugnat (1) praxi ab ipso Spiritu S. præscriptæ, à Christo ejusqve Apostolis adhibitæ (2) primitivæ Ecclesiæ, illud Magistratus politicus in se suscipere non debet. Atqvi Propagatio religionis per media vio-lenta repugnat (1) praxi ab ipso Spiritu S. præscriptæ &c. (2) pri-mitivæ Ecclesiæ. Ergo. Major probatione non indiget. Minor probatur (1) Methodus à Spiritu S. præscripta & ab ipso Christo adhibita hæc fuit. Hæreticos frustra adhibitis adhortationibus de-bemus cavere & vitare 2. Cor. X, 8. Tit. III, 10. 1. Tim. VI, 5 falsa eorum dogmata declinare Tit. I, 9. 10. 11. Os eorum (sc. verbo, non ferro & flammis) obturare tenemur. E. non necare. Si Christus abeuntes, ut redeant, suaviter est adhortatus. uti Joh. VI, 67. doce-tur, ultro conseqvitur; Magistratum politicum alio procedendi modo uti non debere. (2) Primitiva N. T. Ecclesia hæreticorum dogmata qvidem damnavit, sed non ferro delevit, licet multi, ut historiarum monumenta produnt, anxie id desiderarint. Prob. (IV) Hisce varia Testimonia nostram sententiam confirmingantia addi possunt. Producimus Tertullianum qvi Lib. ad Scap. cap. 2. scribit: *Nec Religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi.* Idem propugnat Lactantius Lib. V. instit. div. c. XXI. Audiamus Gregorium lib. II. Epist. 15. qri sincera Dist. 45. ita differenter. *Qui sincere intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandi-mentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita ad pla-num ratio poterat revocare, Pellat procul adversitas.* Hanc veritatem Imperatores Regesq; approbarunt. De Imperatore Ferdinando I. Thuanus Lib. 36. Histor. ann. 1564. testatur: In Religionis negotio non igne & ferro grassari, ad quod ipsum & Galliæ Regem plerique hor-tabantur; sed colloquiis, disputationibus, amicis collationibus,

Con-

Conciliis denique, s. Nationalibus, sive œcumenicis rem gerentius judicabatur. Imperator *Maximilianus II.* sæpiissime professus est: nullam esse intolerabiliorem tyrannidem, quam dominari velle conscientiis. Ita & alii plures. *Theodoricus Gothorum Rex* scribit: Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus. Vid. *Cassiodor. Lib. 2. Variar. Epist. 27. Bodinus lib. 11. de Republ. c. VII. p. 758. Henricus III. Galliarum Rex*, postquam Calvinianam Religionem satis superque persecutus fuisset, tandem vi veritatis coactus dixit: conscientiae dominium non ad Reges ullosve pertinere Magistratus. conf. *Josephus Acosta lib. 1. de procuranda Indorum salute c. 4. Petrus Grigorius Totozanus lib. 12. de Republ. c. 4. Bodinus lib. 11. cap. VII. de Republ. B. Jacob. Henningius c. 1. B. Samuel Pomarius in scripto: Bewiesener ungerechtester Gewissens-Zwank contra Hierarch. Boranowski P. I. & II. B. Job. Gerhardus in Exposit. Elenct. Evang. p. 375. sqq. B. Fridericus Balduinus in Disp. de hereticis. Scherzerus in system. p. 725. lqq. aliqui que conf. adhibita cautela Dn. Thomasius in Disp. de Jure Principis circa adiaphora p. 25.*

S. III. Objicit (I.) Hobbes: Subditos facere debere omnia, quæ Domini exigunt Col. III, 20. Quo & refert locum Matth. XXIII, 2. Resp. (I.) ad locum Col. III, 20. Comitti fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Quilibet Magistratui obedientiam præstare tenentur, sed in Sphæra civili & quatenus vicariâ gaudent auctoritate. Et vel solum dulcissimi nostri Salvatoris effatum hoc restrinquit negotium: Date Cæsari, quod Cæsaris est, sed sic, ut reservetur Deo, quod Dei est. conf. B. Seb. Schmidius in Comm. in Epist. ad Coloss. p. m. 232. B. Schomerus in Exeg. in b. 1. Joh. Coccejus Tom. V. opp. Comm. in b. Ep. f. 151. Nicolaus Arnoldus in Luc. in Tenebr. P. II. p. m. 446. David Knibbe in der Erklärung der Epist. Pauli ad Coloss. P. II. p. m. 604. Resp. (2) ad locum Matth. XXIII, 2. Peccat Hobbes ψευδομηνία. Unde enim probabit; Cathedram Mosis ad autoritatem civilem, quæ tum temporis apud Judæos exigua erat, pertinere? Sunt, qui per Cathedrā Mosis, doctrinā Mosis intelligunt, ita ut phrasis sedere in Cathedra Mosis idem denotat ac, docere legem Mosis, vel inculcare doctrinam Mosis, metonymia subjecti pro ad juncto. vid. Nic. Arnold. c. 1. p. 110. Et hæc expositio contextui satisficit. Nam de scribis & Phariseis sermo est, quorum doctrina Legi Mosis adversabatur. Posito Cathedram Mosis significare jus & potestatem regendi populum Israëliticum, & eum subji-

subjiciendi legi Mosis, ut vult Job. Coccejus Tom. IV. opp. f. 34. conf. Salomon van Til in der Erklärung des Evangel. Matth. f. 793. Non tamen Salvator Pharisæis per Cathedram Mosis obedientiam absolutam attribuit, qvia non probat, sed taxat illorum additamenta. conf. Nicolaus Arnoldus c. l. Coccejus c. l. van Til c. l. Obj. (II.) Magistratu*m* simpliciter esse obediendum. Rom XIII, 1. 1. Petr. II, 13. Matth. XXIII, 32. Relb. Obedientiam qilibet subditus suo magistratui summā animi submissione exhibere jubetur, qviq; hoc non præstat, ordinationi divinæ sese opponit. Obedire tamen magis oportet DEO, qvā hominibus Act. V, 29. Paulus se subditum Cæsar is & Civem Romanum fatetur, sed salvo DEI cultu; sed sic, ut non desinat esse minister Christi. Christus docet; Pharisæos esse audiendos, sed non vulnem omnem doctrinam scribarum & Pharisæorum esse recipiendam, sed qvæ ut ex Cathedrâ Mosis loqvebantur, i. e. qvæ ostendebant & indicabant tanquam verbum DEI & legem ea jubet observari. Conf. Autores supra citati. Objicit Spinoza (1) Religionem totam justitiæ & charitate absolvit; DEum non habere aliud Regimen in homines, quam per Reges mundanos; DEum non debere concipi ut Iustum, ut legislatorem, hac enim cum hominibus convenienter, non debere DEO proprio tribui. Resp. (1) Indifferentisti cum Principium est; Religionem totam justitiæ & charitate absolvit. Hac enim ratione qilibet opera externa faciens, qvicq; id sentiat, veram habebit religionē Qvod plane absurdum est. Qvicunq; ergo DEum verè colere desiderat, is necessario verum de eo sensum habere debet. Cognitio veritatis, qvæ ad intellectum spectat, antecedit, cultus, qvi ad voluntatem refertur, seqvitur. Ubi illa non est, ibi nec hæc esse potest. Ignoti enim nulla cupido. conf. Disp. nostram de Relig. p. 15. §. 2. Qu. 4. Resp. (2) Falsum est; DEum non habere aliud regimen in homines quam per Reges mundanos. Audi Salvatoris vocem! Regnum meum non est de hoc mundo. His verbis mundana regna non tolluntur; Christus enim non confusionem, sed ordinem amat, sed regnum spirituale mundano contradistinguitur, & sic nullatenus includitur. Resp. (3) Insipidus homo sapientissimum DEum reformato conatur. DEus in sacris literis non tantum ut justus, sed etiam ut legislator describitur, eamq; ob causam se ita revelavit, ut mortales eum non tantum ut misericordem, sed etiam ut justum venerarentur. Malè qvoque colligit Spinoza: justum es-

se, leglatorem esse, hominibus convenit; Ergo DEO propriè tribui neqvit. Ut formaliter respondeamus, mentem *Spinozæ* perfetto synogismo includimus: Qvicqvid hominibus convenit, id Deo propriè tribui neqvit. Atqvi τὸ justū esse &c. hominibus convenit. E. DEo propriè tribui neqvit. *Resp.* limitando majorem propositionem ex partesubjecti: Qvicqvid hominibus convenit, & in hominibus imperfectionem dicit, illud DEO propriè tribui neqvit; sic concedimus majorem, Minorem vero negamus. Ipsa enim sana ratio dictitat, hæc prædicata in hominibus imperfectionem non dicere, sed potius perfectionem. Nunc telum retorqveo: Quidqvid perfectionem in creaturis dicit, id eminentissimo modo DEO tribuendum: Atqvi τὸ justum esse &c. perfectionem in creaturis dicit. Ergo eminentissimo modo DEO tribuendum est. *Objec.* (II) Aut omnem autoritatem & potestatem circa sacra Magistratui concedendam est, aut imperium dividendum. *Resp.* (1) Negatur consequentia. Magistratus habet imperium à Deo, & eam ob causam ipsi obsequium debetur; reservanda tamen Deo, qvæ Dei sunt. Do instantiam: Medicus circa artem ex illius præscripto dispensat. Ergone ars medica dividitur? Porro: Pater familias ex lege œconomiae sua tractat, Ergone œconomia dividitur? sic Magistratus summâ gaudet potestate, imperiumque ad ipsum pertinet, sed exercitium potestatis limitatum est: Tenetur enim secundum leges divinas sibi præscriptas sua tractare. *Resp.* (2) Dominium in conscientias hominum nec Reges nec Ecclesiæ ministri habent. Non Reges, qvia haberent aut à se, aut ab alio. Non illud, qvia non est potestas nisi à DEO data Rom. XIII, 1. & nemo potest scrutari hominum renes; non hoc quia sic haberent à Deo, qvod tamen falsum, ut ex supra notatis perspicere dabatur legenti. Si Ecclesiæ ministri, iterum à Deo haberent, qvod tamen non tantum scripture ignorat, sed & simpliciter negat Matth. XX, 15. Ergo. Jure merito dominium in conscientias soli DEo vindicatur, qvippe qui illos non gladio, sed modo sibi arbitrario adgubernat. *Obj.* (III.) Hac ratione inter statum politicum & Ecclesiasticum suboriri conventiones posse, ut videmus inter Pontifices & Reges hebreos, & viam ad imperium Sterni, ut in Papa Rom-paret. *Resp.* Commititur fallacia accidentis. Qvilibet faciat qvod suum est, qvilibet sua servet jura, evitetur statuum confusio, sic omnia ordine & decenter fient. Atqve hæc ad spinoziana argumenta dicta sufficiunt. Pontificiorum firephas supra alligati Theologi solide solverunt nobisqve hac ratione ferias fecerunt. Propteramus ergo ad alia.

QUESTIO

## QUÆSTIO III.

*An Princeps Christianus habeat ius aggratiandi circa  
homicidium?*

## §. I.

D. THOMAS BARLOW. Lincolniensis Episcopus in *Libr. cuius Titulus: Miscellaneous & mighty Cases of Conscience cap. II. & III,* (ut refert D. Reichenbergius in *Disp. de jure principis aggratiandi circa homicidium negato 1703. bab. §. 57.*) afferit; omnes leges divinas de pœnis sanctitas esse forenses & positivas, quæ non ex jure naturali ac morali fluant, ac adeo non omnes homines semper obligent, proinde circa illas dispensationem habere locum; hinc speciatim. *Autor legem pœnalem Gen. IX. 6. pro positiva tantum ac adeo mutabili vel dispensabili venditat.* Suntque hodie multi qui eandem sententiam fovent propugnantque. Edita est A. 1695. à DAVID. STAVINSKI, J. U. L. in *Academia Halensi disputatio* cuius rubrica: *De jure principis, pœnas lege divinâ determinatas mitigandi vel remittendi, in quâ idem assertum exhibetur ac defenditur:* Summam hujus sententiæ proposuit Magnif. Dn D. FECHTIUS in *Disp. de Histor. Caini & Abeli p. 44. An. 1704. edit.,* quam omnino vide. D. PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS Theologus alias celeberrimus in *Tract. de jure Gratia Principis Christiani in reos noxa capitalis it, in Disp. eodem titulo inscripta & Wittenbergæ excusa Cap. I. & III. §. 9.* statuit: Principem Christianum in N.T. Ecclesiâ, tali, qui homicidium perpatravit, si postea serio pœnituerit & verbi divini Ministri penes principem intercesserint, pœnam capitalem remittere debere. Hanc sententiam ex professo refutare aggressus est in *Disp. supracitata D. Reichenbergius.* Eam vero iterum defendit D. Hannekenius in *Disp. de misericordia DEI fortuita. An. 1705. bab. cap. IV. §. 1. sqq.*

§. II Verum enim vero, quanquam hæc modo notata sententia, speciosis argumentis à suis autoribus corroboretur, nobis tamen negativa salvâ discentientium autoritate, verior esse videtur. Anteqvam autem nostra argumenta adferamus, supponimus cum B. D. Thummio in *Explicat. Decat. p. 357. sq. (I.)* dari quosdam causas, in quibus homicida veniam mereatur, utne capitali supplicio afficiendus à Magistratu. V. g. si cædes sit fortuita, quæ fit ex improviso contra omnem intentionem, vel si cædes fiat in extremo necessi-

necessitatis casu, ubi nullum aliud medium ad defensionem suppetat. *Pontificis* qvinq; adhuc casus extra hosce fingunt, qvi homicidas tueri possunt; sed hos solide refellit B. D. *Ibunnius c. l.* p. 358 sq. (II.) supp. Hoc loco qværi de temerario & doloso homicidio, qvando privatus homo, iræ & vindictæ studio abreptus, alium, i.e. qvem nullum vitæ aut necis jus habet, sponte trucidat. Hisce suppositis dico: *Princeps Christianus non habet jus aggratiandi circa homicidium.* De terminis in assertione hâc occurrentibus ut sollicitissimus necessum non est, qvippe qvi per se noti sunt. Probamus ergo thesin nostram (I.) ex *Mand: 10 a: z: in Gen. IX, 6.* *Quis effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundatur: quia in imagine DEI fecit hominem.* Male textum hunc exprimunt LXX. Qui effuderit sanguinem hominis, ἀπὸ τοῦ αἰωνοῦ ἀπόθεψεν πρὸ sangvine hominis, ejus qvoq; effundatur (sangvis) *Vulgatus* mutilate effert: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem qvippe DEI factus est homo.* Melius Targum Onkelos *מְרֹאָפְּגָלֶן:* *Qui effuderit sanguinem hominis cum testibus, iuxta sententiam judicum sanguis ejus fundetur.* Et Targum Jonathan: *Qui effuderit sanguinem hominis per testes, condemnabunt judices ad necem.* Et qui effuderit absq; testibus, Dominus mundi olim vindictā ab eo sumet in die judicii magni. *Pagninus & Arias Montanus,* Tostati legentes vestigia, illud בַּאֲדָר ad subjectum referunt, qvasi diceretur: effundens sanguinem hominis in homine seu per hominem, sangvis ejus effundatur. Verum accentus *Zakeph-katon* voci בַּאֲדָר impositus docet, ut Philologi hactenus observarunt, non post vocem בַּאֲדָר sed post בַּאֲדָר distinctionem faciendam esse. Et si vox hæc ad subjectum spectaret, incommodus ac ineptus emergeret, sensus: qvid enim qvæso est: effundere sanguinem hominis in homine. Qvare τὸ בַּאֲדָר non ad subjectum, sed ad prædicatum referendum & præpositio בַּאֲדָר instrumentaliter explicanda erit, ut sit idem ac *Per. Hugo Grotius in Annot. ad b. l.* singularis est, putans, non agi hinc de morte homicidæ inferenda judicum pronunciato, cum tempore hoc, qvo lata hæc lex, nulla fuerint constituta judicia: itaq; naturale jus talionis hinc indicari verius, qvod postmodum aucto humano genere, & in gentes distributo, judici permisum fuerit. Sed dicuntur hæc, non probantur. Si nulla tum constituta fuerunt judicia, constituenda omnino erant, ne sine ordine regeretur per Noahum

chum ejusdemque filios plantandus orbis. Instituisse vero DEum  
hoc loco judicia publica & armasse gladio Magistratus ad punien-  
dum fontes & defendendum infantes, ex infra dicendis luculen-  
tissime patebit. *Ostendorp* aliiq: Sociniani, ut cum Anabaptistis,  
Schwenckfeldianis ac Weigmanniis jus gladii Magistratui adimant,  
docent, textum hunc Mosaicum non continere mandatum Magi-  
stratui datum; sed comminationem ac prædictionem supplicii di-  
vini. Sed contrarium probat (1.) *Ipsius DEI expositio. conf. Exod.*  
*XXI, 12. Lev. XXIV, 17. Num. XXXV, 16.* (2.) exempla probata  
*Jos. VII, 25. 2. Sam. IV, 12. 1. Reg. II, 24. 25. 31. 46.* (3.) ratio: si præ-  
dictio simplex sine mandato hic intelligeretur, seqveretur oraculū  
hoc aliquid falsi continere: non enim homicidarum sanguis (de  
facto & eventu ipso loquimur) semper effunditur per hominem.  
*Conf. Nicolaus Arnoldus in Lut. in Ten. in b. l.* Seqvitur ergo verba hæc  
intelligenda esse de mandato Magistratui dato, qvod licet non  
semper & ubique executioni detur, non tamen propterea exspiri-  
rat obligatio rei ad pœnam sustinendam & obligatio Magistratus  
ad eam inferendam. Ac proinde verbum futurum: **נְפָלֵת** impe-  
rative exponi commode potest, per *effunditor*, uti recte Vulgatus,  
nec non Tremellius & Junius & etiam B. Lutherus expresserunt;  
notum enim est tempus futurum Hebræis saepe pro imperativo po-  
ni, qvod inter alia ex structura verborum decalogi atque impre-  
mis præcepti s. Exod. XX. constat. Advertendum insuper est, ta-  
lem hic à DEO præscribi sanctionem, quæ ad mundi instaura-  
tionem ac proinde non solam Noachidarum familiam, sed & ad o-  
mnes ipsorum posterorum spectat. Quâ de causâ & ad omnes omnino  
homines sive veteris, sive Novi Testamenti temporibus viventes,  
sive Judæi sint, sive gentes, extenditur. Vid. *Gerbardus LL. Theol.*  
*L. de Magistr. §. 2299. B. Feurborn in Anti-Ostendorp. Disp. XXVII. Rivetus*  
*Exerc. 59. in Gen. p. 237. B. Jacobus Henningius in Disp. de manimento securi-  
tatis &c. ad b. l. Dn. D. Reichenberg c. l. §. 5. Pelargus in Comm. in b. l. Joh.*  
*Coccejus Tom. I. opp. in b. l.* Denique ratio, cur sanguis sanguinem ef-  
fundentis per judicem effundendus sit, probe expendenda est:  
*Quia in imagine DEI fecit hominem inquit Moses. Ubi tenendum:*  
imaginem DEI hic non considerari ratione naturalis possessionis,  
qua si quilibet homo post lapsū eam naturaliter adhuc haberet sed  
respectu præcedaneæ divinæ creationis ac reparationis per Chri-

C

stum,

stum, ceu recte monet D. Feurbornus c. l. Qvicunqve ergo tam nobilem creaturam privato ausu interficerit, is jure merito à Magistratu morti adjudicabitur. Prob. (II) ex lege, qva constituitur; voluntarium & dolosum homicidam morte plectendum esse. Exod. XXI, 12. Qui percutit quemquam ita ut moriatur, omnino morte plectitur. Qv. (1) quid hoc loco mandetur? Homicidam morte plectendum esse. Hoc mandatum tam ad vetus qvam ad N. T. pertinet, qvicqvid etiam ogganniant *Sociniam*. Nec illud per Evang. abrogatum est. Concedimus e quidem qvam lubentissimè abrogatas esse ceremoniales omnes & forenses qvasdam; qvæ scilicet peculiarem formam & rationem illius populi judaici qvâ talis concernebant; sed leges naturales, morales, illæq; forenses, qvæ spectabant Judæos qvâ politiam in genere habentes, abrogatae non sunt. Jam lex ista talis fuit sc. naturalis, qvæ apud omnes gentes, etiam qvibus Lex Mosaica ignota fuit, viguit & statim à Diluvio obtinuit, ceu ex loco supra explicato ad oculum patet. Hinc Salvator etiam eam juris N. T. esse aperitis verbis docet Matth. XXVI, 25. conf. Rom. XIII, 4. Apoc XIII, 10 & D. Reichenb. Disp. cit. § V. sqq. Qv (2) Cui hoc mandatum injungatur? Non cuilibet privato, sed magistratui. Nam jus pœnas sumendi non dependet ab arbitrio privato, vel penes dissolutam multitudinem est, ut Thomas Hobbes de Cive c. XVI. §. 15. p. m. 300. afferit. Rationes in promtu sunt; qvia Gen. IX, 6. jus puniendi determinatæ personæ non multitudini defertur; & hoc mandatum h. l. repetitur. Hocq; facies bene constitutæ reipublicæ postulat. Si enim qvilibet privatū hoc jus exercere posset, de omnibus actum esset. Qvis enim adeo felix, ut omnibus placeat? Itaq; non levī qvilibet periculo expositus, dum uni displicerit, displicebit omnibus. Qvot non orientur seditiones, si non tantum cuivis privato hoc jus concederetur, sed & sub prætextu pœnæ speciem recti sibi formaret. Et quid? Ipsa scriptura privatum zelum, privatamq; vindictæ cupiditatem detestatur, soliq; Deo zelum, & vindictam vindicat. conf. Dn. D. Henningius c. l. Ex Scholasticis vid. Thom. 2. 2. qv. § 4. Art. 1. Sotus lib. 1. de just. qv. 1. art. 3. Navarrus in Man. c. XV. Sebæst. Medices in summâ de peccatis tñr. 4. qv. 94. aliiq; citati apud Gregorium Sayrum Anglum in Clavi Regiâ Sacerdotum, casuum Consc. Lib. VII. c. X. p. 438. Qvanq; autem Magistratus hodie hoc jus immediate non exerceat, suos tamen habet ministros, per qvos illud exercet vel exercere debet. Qvod vero

vero qvis facit per alium, id ipse fecisse putandus est. Pluribus hæc materia deduci posset; addenda quoque forent testimonia, tam Theologorum, quam Ictorum & Politorum, qui à nostra stant sententia; subjungendaq; argumentorum contrariorum resolutio; sed cum præter spem Dissertatio excreverit, & limites à Dn. Respondente præscriptos transgredi non liceat, ea publico reservo discursui. *Conf. interea Dn. D. Rechenb. Disib. cit.*

## QVÆSTIO IV.

*An Magistratus illimitatum habeat jus in adiaphora, ita ut cœteri status excludantur?*

§. I.

PONTIFICI illimitatum jus in bona Spiritualia, satis impudenter vindicant Pontifici Romano, eumque supra omne, quod DEus est, nefando prorsus conatu extollunt. PSEUDO-POLITICI, qui nimis liberales erga Magistratum Politicum esse volunt, cuncta in Religionis negotio à nutu & arbitratu Principum suspendunt. Hos inter omnino recensendus est THOMAS HOBES Sacrae Scripturæ interpretationem, h. e. uti ipse exponit, jus controversias omnes determinandi, illi adscribit, penes quem est summum imperium civitatis *Lib. I. de Cive cap. XVII, art. 27. & cap. XV. Artic. 18.* Porro asserit: absolutam obedientiam subditos præstare debere Magistratui, in iis etiam rebus, quæ indirecte & per consequentiam in DEI cotumeliam vergunt, contraq; rectam rationem sunt v. gr. quando civitas imperat DEum colere sub imagine. Unicum saltem articulum, de JESU quod sit Christus, excipit, qui sit necessarius ad salutem de fide interna cœteros omnes pertinere ad obedientiam tantum. In LEVIATH autem suo . 42. concedit hunc articulum negari externè posse, modo ne sponte id fiat, sed coacte & in ordine ab obedientiam legibus Patriis præstandam. Ωντων Ψεῦδος Hobbesii est, quod potestatem civilem summam ex pacto & conventione hominum derivet, in quâ cives omnem suam vim, potentiam & judicium tam in rebus sacris, quam profanis transtulit. vid. *eius civis c. V. Artic. IX, & XI.* Quæ sententia Prov. VIII. 15. Rom. XIII. 1. sqq. è diametro adversa est. conf. quæ supra Qv. I. diximus. Quænam BENEDICTI SPINOSÆ hæc de controversiâ sit sententia, id expressis verbis in *Tract. Theol. polit.*

C 2

lit.

lit. c. 19. sub initium prodit : *Cum supra dixi illos, qui imperium tenent  
jus ad omnia solos habere & à solo eorum decreto jus omne pendere, non tanquam  
civile intellegere volui, sed etiam sacrum, nam hujusmodi etiam interpretes  
esse debent & vindices QVO tendant Dn. D CHRISTIANI THOMASII  
Disputationes, in quibus de juribus Principū agit, eruditus lector,  
qui falsis præjudiciis obrutus non est, primo intuitu animadvertisit;  
De præsenti controversia imprimis conferri poterit Disp. de Jure  
Principi circa adiaphora, quam Dn. L. BRENETSENUS sub ejus præsidio  
defendit Halæ Ann. 1695. Perstrinxit eam in Academia Lipsiensi  
immortalis memorie Theologus Joh. Ben. CARPOVIUS, F. in Disp.  
eruditissimā de Jure decidendi controversias Theologicas, quam omnino  
vide & quidem p. 59. sqq. Errorem suum defendit Dn. D. THOMASII  
in Program. Disp. de jure principi circa heret. An 1697. habit: præmisso item  
im Füsten. Recht; Quem seqvitur Dn. L. BRENETSENUS, cui se op-  
posuit celeb. Dn. D. Stolz.*

§. II. Nos, quanquam *Fanaticorum* deliria, quibus Magi-  
stratui omnem potestatem adimunt, autoritatemque debitam de-  
trahunt, toto pectore detestemur, Pseudo-Politicorum opinioni-  
tamen salvâ conscientia subscribere non possumus. Hinc se-  
quentem assertionem ipsis opponimus: *Magistratus non habet illimitatum  
jus in res sacras, ut excludantur ceteri status. Prob. (I) quia heresi-  
tati sunt Ecclesie.* Ecclesiam autem non solus magistratus consti-  
tuit, verum etiam reliqui status. Arguo: Quaecunq; res ad totam  
Ecclesiā pertinent, in illas Magistratus illimitatum jus non habet.  
Atqui res sacræ ad totam Ecclesiam pertinent. Ergo Magistratus  
in illos non habet jus illimitatum. De Majoris veritate nemo dubi-  
tat. Minorem probo, quia (1) omnia nostra sunt 1 Cor. III, 21. no-  
bisq; cum Christo omnia donata sunt Rom. VIII, 32. (2) quia voca-  
tur Ecclesia sponsa Christi Jes. LXI, 10. Joh III, 29. Apoc. XXII, 17.  
2 Cor. XI, 2. Ps. XLV, 10. Sicut jam sponsa particeps fit nominis, digni-  
tatis & bonorum sui sponsi; Sic à Christo dicimur Christiani, ab eo-  
dem in consortium justitiae & omnium cœlestium bonorum reci-  
pimus. Fideles audiunt membra Christi 2 Cor. X, 7. 1 Cor XII, 13.  
sqq. & 27. Corpus Christi tanquam capitum Eph. IV, 15. Qvocunq;  
ergo est Corpus Christi capitum, illud quoque particeps est omnium  
beneficiorum Christi, quia caput hoc dat corpori suo vigorem, vi-  
tam, sensum & motum, uti patet ex v. 16. conf. B. D. Jac. Henningius  
in

in Disp. de jure fidelium in bona et am spiritualia quam corp. §.11. §.8. celeb. Dn. D. S. belg. vigilius in Synops. Artic. XXIX. qu. II. p. 333. 19. Sice gr. jus vocandi Ministrum apud totam Ecclesiam est, qvi c̄qvid Ponit, Galvinius aliique contra sentiant; Nam Tota Ecclesia jubetur discernere inter doctores veros & falsos & probare spiritus Matth. VII, 15. Gal. I, 8. & votati non Presbyterii, non solius Magistratus, sed totius Ecclesiae ministri salutantur. Ratio ordinis tamen hic habenda, ut quisq; agat qvod suū. Ministerium examinat, ordinat & consecrat. Magistratus nominat, præsentat & confirmat. Populus consentit & approbat, vel etiam pro ratione circumstantiarum petit, postulat, aut nominat. Vid. B. Job. Gerhardi Confess. Catol. P. II. Lib. II. p. I. § 199. B. Nic. Hunnius Demonstrat. minister. Lutherani p. 189. 261. B. Theod. Thummii Disp. de Legit. Vocat. Ministr. V. D. p. 31. 199. Magnif. Dn. D. Mascovi Dispt. de Jure Majest. Eccl. c. IV. §. 1. 199. Sic Magistratus jus habet in adiaphora vid. Brunnem. de J. E. Lib. I. c. 2. § 34. Quid valeant Principes, tot variæ docent ordinationes Principum Ecclesiasticæ, in quibus aliæ atque aliæ ceremoniæ præcipiuntur. In mutandis vero adiaphoris, nimium & parum evitandum est, idque observandum; adiaphora ubi urgentur, desinere esse adiaphora. Conf. B. Gerhardus de Minist. Eccles. §. 288. B. Carpzovius Jctus in Confess. lib. 2. Def. 246. & omnino circa hanc materiam legi meretur celeb. Dn. Edzardi tract. de Cœmonia Sc. A. 1705. Hamb. edit. Prob. (II) Ex forma Ecclesie externâ, quam non monarchicam, nec democraticam, sed Aristocraticam esse comprehendim⁹. vid. dn. L. Stolgens nöhtige Anmerkung vom Fürsten Recht p. 45. 19. Hinc ergo, quamvis Populus exercitium juris, ordinis & reverentiæ causâ concedat Magistratui, non tamen propterea ille ab ipso jure excludendus est. Et quid? Ipsi Principes cœteris statibus hoc jus concedunt, qvod ordinationes Ecclesiasticæ aperte testantur. Sic, qvod attinet vocationem Ministrorum Ecclesiae; Ordinatio Eccles. Ducatus Mecklenb de A. 1650. Part 2. Von Erhaltung des Predigt-Amts §. Zum andern: ita docet: vermahnen wir alle/ daß sie zu diesem hohen Amt/darum der Sohn Gottes sein Blut vergossen hat/ so viel möglich ist/ eichtige Personen suchen/ und dieselbe mit Vorwissen des Superindenten/der Gemeine præsentiren und sämtlich erfahren/ ob sie ziemliche Gaben haben/ und sind Gottsfürchtige Männer/ die nicht in öffentlichen Lastern leben/ und die Christliche Lehre ziemlich gelernt haben und reine Lehre des Evangelii bekennen &c. Alibi que ipsi Ecclesiæ ministris in jungitur, ut conservent ritus Ecclesiasticos. vid.

C 3

D. Ma/co-

D. M. s. ovius c. l. Prob. (III.) Exemptis Priorum Regum. Constat ex sacris litteris pios Reges cum consensu & consilio statuum reformasse Ecclesias, conf. Jos. XXIV, 1. sqq. 2. Paralipp. XXX, 1. XXXIV, 30. sqq. imo testatur sacra pagina, illos, qui proprio ausu ritus obtrudere conati sunt Ecclesiæ, fuisse poenit gravissimis afflictos. conf. Jud. VIII, 27. sqq. 1. Reg XII, 28. sqq. XIII, 4. 5. 1. Sam. XIII, 12. sqq. 2. Reg XVI, 14. sq. Sunt etiam quædam in adiaphororum numero, quorum mutatio eximitur à civili potestate, e. gr. Sic Principi jus non competit, consuetum morem celebrandi Sabbathum die dominico abrogare, & alium diem cultui divino publico destinare, quemadmodum affirmat Dn. D. Joh. Sam. Strykius in Disp. de Jure Sabbathi Cap. II. p. 57. Anno 1702. Hale hab. conf. Dn. D. Mascovius c. l. Dn. D. Seligmannus in Disputat. de Sabbatho. p. 68. §. 3. Anno 1703. Lips. hab. Plura qui desiderat, quod attinet materiam de Sabbatho, conferre poterit Magnif. Dn. D. Fechtii Sched. de Sabbatho & prefat. B. Dorschæo Comm. in 4. Evang. premiss. D. Joh. Augusti Stempelii Disp. Inaug. de Sabbath. Christianorum A. 1674. Lipsie Hab. B. Jacobi Henningii Disp. de moralitate Sabbathi Christiani Gryphius. An. 1688. hab. B. D. Val. Alberti Disp. de Sabbathi sanctif. &c. An. 1691. Lips. hab. D. Job. Dav. Schwerteri Vincias moral. Diei Dom. An. 1703. Pirnae impress.

### QVÆSTIO V.

*An Magistratus salvâ conscientiâ in rem publicam suscipere possit eos, qui diversam à nostrâ religionem profitentur?*

§. I.

**P**OLITICORUM quidam, etiam quorum præcordia de meliore luto finxisse Titan videtur, quæstionem hanc affirman, magis ad suam rationem status quam ad verbum divinum respicientes; dicunt enim diversitatem Religionis magis prodesse Principi, quam obesse, cum illa impedit, ne subjecti concordes in illum conspirent, thtono detrudendum, quâ opinione Hugonost & Galliarū Reges imbuere laborabant.

§. II. Nos negamus. Status autem controversiæ hic est: (1) quæstio non est: *An Magistratus diversas religiones, quæ jam certis conditionibus præscriptis in rem publicam sunt receptæ, civiliter tolerare possit aut debeat? sed (2) quæritur: An Magistratus, ubi una eaque vera est religio, possit salvâ conscientia falsas religiones in rem publicam suscipere?* Et hoc est quod inficiamur. Prob. (1) quia Scriptura Sacra, ad quam etiam Princeps summa gaudens potestate adstrictus est, non tantum omnes mixtionis species dissuadet, sed vetat quodque imo damnat. Damnatur & vetat connubia cum heterodoxis Exod. XXXIV, 16. Deut. VII, §. 4. Jos. XXIII, 13, damnatur & detestatur cultum heterodoxorum, quod clarissima dicta evincunt tum in typis Lev. XIX, 19. Deut. XII, 9. tum expresso sermone Exod. XIII, v. ult. Deut. IV, 16. &c. In novo Testamento ipse Dulcissimus Salvator noster & Apostoli solerter dehortati sunt à sermoni suoqve pharisæico. Ut ergo hæc omnia evitentur, recte facit Christianus Magistratus

fi

si falsas religiones, quidquid etiam proprium interesse sva deat, non recipiant in rem publicam. Qui enim puro & sincero corde DEum colit, is ipsi acceptus gratusque est, largissimamq; ab eo tanquam Fonte omnis bonitatis, accipit benedictionem. Qui vero alteram cordis sui partem alteram Deo consecrat, is maledictus est. Prob. (II.) Comminatur DEus mala politica atq; publica falsae deditis Religioni horumq; sociis Deut. V 11. 45. sqq. sub anathematis poena sculptilia & vel aurum, vel argentum inde conflatum exercatur Lev. XX. v. 22. 23. vid. 2. par. V 11. 19. Hos. V 11. 4. & IV. 6. Argumentor: Quidquid nil nisi damna adserit, id omni studio Christianus magistratus evitare tenet; Ratio est, qvia incumbit magistratui, ut quærat bonum sive conservationem Reipublicæ. Nunc subsumo: Recepio falsarum Religionum in Rempublicam nil nisi damna adserit per loca citata, Ergo. Prob. (III.) Deus iis, qui aliquid haec in causa tentarunt, poenas inflxit gravissimas quod partim ex Historia Sacra, partim etiam ex profana constat. Fusius hæc deducta vide in Disp. de Religionis falsæ mixtaq; in republ. damnis, quam A. 1667. Argentorati publica luci exposuit Celeb. Dn. D. Barbara Bebelius. Prob. (IV.) Diversitas Religionum multitudo creat contentiones & dissensiones. Quilibet enim naturæ quodam ductu suam opinionem omnibus viribus tueri conatur, ac inde quotidie magna oriuntur dissidia, subversio audientium, & turbamentia regionum. Prob. (V.) Jus majestatis Ecclesiasticum, quo Principes gaudent, respicit quoque curam religionis, quæ in eo consistit, ut Magistratus politicus, omnem in id convertat sollicitudinem, quo pura Religio in Rempublicam introducatur, introducta conservetur, jurisdictio Ecclesiastica debite exercetur, res Ecclesiæ assertentur, nec in profanos aut privatos usus transferantur; Homines de DEO recte docentur, blasphemie prohibeantur, idola & cultus manifestè impii tollantur. vid. Dn. D. Moscov. c. l. cap. II. §. 4. Argue: Quidquid juri Majestatis Ecclesiastico repugnat id Magistratui Christiano approbare non licet. Atqui introductio falsarum religionum in Rempublicam repugnat juri Majestatis Ecclesiastico. Ergo. Obsigno hanc controversiæ verbis celeberrimi f. C. D. Henr. Linkenii, quæ in Disp. pec. Valedictionis loco An. 1674. Jenab. cap. I. §. 31. exhibet: Cum optare quidem sperare autem vix ac ne vix doctrina concordiam liceat, inter Scyllam quasi & Charybidi navigantes, nauclerum imitemur necesse est, quia cum eo, quo cupit, pergere non possit, quo potest cursum dirigit. ac saepe velificatione mutata procellis ac tempestatibus obtemperat, ne si directum tenere velit, naufragium patiatur. Ita quoque in his questionis decisione progrediendum, ita nimis si civitas vel regio variis religionibus occupata sit, ut sine totali intermissione aut multâ sanguinis effusione una religio obtineri nequeat, tolerandas postmodum alias religiones, quamewertendam Rempublicam. Praestat si quidem qualem qualem habere politiam ac aliquo modo propter religionis dissidium turbatam, quam penitus nullam. Hinc inquit cit Linckius, facile licet colligere, quantum Magistratus peccatum in DEum, tum in subditos, varias, quas præcavere poterat, in Rempublicam Religiones voluntarie admittens. Quamvis enim non multi conseantur; diversitatem religionis Principi magis prodeesse quam obesse, cum impediatur ne subditos concordes in illum conspirent, quali opinione Hugonotti Gallia Reges imbuere laborarent, tristia tamen & intestine Bella Germania & Gallia hoc Politicorum placitum vanum esse demonstrant. Tu vero clementissime DEus, qui solus es Rex omnium Regum & Dominus omnium Dominantium, qui stabilis & transfers Regna, omnis benignissime, tum Magistratus, ut secundum tua divina mandata regant, tum subditorum animos, ut promptissime obedient, quo tandem ex hac politia terrena incoelestem transferantur, in qua evacuato omni Principatu, potestate & virtute, TU eris omnia in omnibus, Tibi uni & soli sit Laus, honor & gloria in Seculorum

Secula AMEN,

Sicut

**S**icut in ungve leo, primoqve ex gramine planta  
Noſcitur, ex cantu damqve probantur aves;  
Sic cathedralm scandens primò conamine VOEGI,  
Ingenium monſtras de meliore luto,  
Si licet augorio qvicquam prædicere nostro,  
Post hunc conatum commoda magna feres.

*Per eximio aique Doctff. Dn. Respondenti gratulab. ser.*

**M. JACOBUS Burgmann/**

P.P. & ad D. Nicol. Ecclesiastes, h. t. Acad. Rect.

=====  
**Ad clarissimum Dn. VCEGIUM**

*DISPUTATURUM GRATULATIO.*

**A**Qvissimum enim est, ut iis, qvi in bonis studiis tempus  
omne consumunt & publicis simul documentis, qvantâ  
alacritate & contentione viam decurrant, qvæ à Deo at-  
qve Parentibus calcanda ipſis proposita est, demonstrant, non suc-  
cessus tantum à DEO & uberrimam benedictionem adprecemur,  
sed laudibus qvoq; ipsorum, omnium bonorum judicio commeri-  
tis, adplaudamus. Mihi certè eò maiores ejus rei sunt causæ, qvo  
indefessum magis in meis qvoqve scholis, privatis publicisq; dili-  
gentiam prætas, ut qvotidie oculis meis obverseris, ipsoqve adeò  
facto testeris, qvam seriò constanterq; ad finem respicias, studiis  
Tuis præstitutum. Qvare veneror DEum, qvi hunc Tibi animum  
indidit, sine cuius Nume nihil est in homine, sive qvo nihil fru-  
ctuosum est & salutare, ut eam Tibi mentem illibatam conservet,  
eoqve deducat Studia Tua universa, ut aliquando ebuccinandæ  
ipsius gloriæ & promovendæ multorum hominū saluti inserviant.  
Scr. VII. Martii M D CCVI.

**Jo. FECHT. D. P. P. Conf. Duc. Adfess.**  
**& Distr. Rostoch Sup. Fac. Theol Senior.**

**Clare**

*Clare dabo DOMINO*  
**ULRIC. CHRISTOPH. VOEGEN,**  
Reverend. Parentis de Ecclesiâ Christi optime meriti Filio,  
Paternis Vestigiis insistenti  
S. P. P.

**U**T Capita controversa de Magistratu Politico & in Cathedra Academica Theologicè tractentur, & explicitur, tum propter eos, qui Magistratum gerunt, & imperant, tum propter eos, qui Magistratui parent, hodie quam maximè necessarium judico. Illorum conscientiæ erudiendæ & informandæ sunt, ne Fanaticis aures probeant. Horum animus excitandus, ut debitam Magistratui præstent obedientiam. Huc collimat erudita V. Disputatio *Optime VOEGE*, de laudabili hoc conatu Tibi gratulor ex toto pectore, Deumq; precor, ut Studiis Tuis porrò gratiam adspiret, eaq; provehat ad commoda Ecclesiæ, ac gaudia & solatia Paterna augenda. Vale.

**J. N. QUISTORPIUS**  
D. P. P. & Superintend.

*ad*

Plurimum Rev. Amplissimum atque Præcellentissimum

**Dominum GASPARUM VOEGEN.** rostoch.

Ecclesiæ, que Semlovii in Pomer. Suecia colligitur, Pastorem Vigilantissimum,  
Dominum Fautorem ac Fratrem in Christo honoratissimum.

**Q**ui Virtutis genuinæ igniculos in pectore suo alit, non in obscuru latet, sed in publicum prodit. Ea enim virtutis indoles est, ut, quum fieri potest, se se exserat. Qui mente Veritati cœlesti addicta gaudet, non potest non publice eam profiteri. Solet equidem malevalorum cohors eorum conatus reprehendere, odioq; proseqvi maximo, qui, cum Benignissimum Numen facultatem concederit, veritatem divinam ex sacris literis nostrisq; libris symbolicis haustam probant propugnantque; At vero in cuius animo virtus residet, Is hisce cavillationibus non supprimitur, sed magis magisq; ad perficiendum DEL opus excitatur. Quo hæc dicta tendant, Vir Plur. Reverende, facili negotio animadverte re poteris, dum Filium Tuum longe dilectissimum in publicâ Cathedrâ Academicâ Disputationem, quā desideriis ipsius satisfacturus festinante calamo conscripsi, defendantem tuismet cernis oculis. Hicce Tuus Filius Virtutem in pectore gerit, veritatemq; reverenter colit, id quod publico hocce Exercitio Tibi suisq; Patronis maxime venerandis luculentiter satis demonstrat. Mentem ad quosvis bonos laudabilesq; conatus adspirantem summum ipsi indidit Numen; Eorum vitat mores, qui Scholas negligunt, suoq; ingenio plus justo indulgent. Frequentat sedulo Theologorum nostrorum Collegia, imprimis ea, quæ Magnus noster *FECHTIUS*, quem Deus T.O.M. in Academiæ nostræ Ornamentum, in Ecclesiæ, suæq; splendidissimæ Familiae Solatium quam diutissime conservet! Studiosæ juventuti aperit, de quo ipsum hujus CONSUMMATISSIMI THEOLOGI testimonium expressis loquitur verbis. Eâ quoq; diligentia meis hactenus Scholis priuatissimis quotidie inter fuit

suit, ut ipsius mores mihi jam sunt cognitissimi: Dicam paucis sine adulazione, quod res est:  
Deum pro animo colit, Praeceptores filiali cultu prosequitur, monita Tua Paterna maximis in deliciis habet. Hoc sane, Vir Plur. Rev., qui adhuc dulcissime Tuæ Costæ Jacobam ardentissimis deploras lacrymis, summum Tibi adferre poterit solatium. Ego interea gratulor ex toto pectore T. Plur. Rev. Dignitati de tam egregio Filio, qui vestigii paternis maxime laudabilibus ita insistit, ut aliquando singulari cum fructu Ecclesiae præfici valeat. Benedicat porro Deus, qui fons bonitatis est, egregiis ipsis studiis, ut finem hunc consequantur exoptatissimum. De cetero me favori precibusque tuis commendo, Vale. Scribeb, Festinanter in Museo d. 6. Martii An. 1706.

T. Plur. Rev. Dignitati addicissimus

GEORGIUS FRID. NIEBEND L PRÆSES.

M VOEGI celso conatu sacra revolvis,

Augmentum studiis quæris ubique tuis,

Det DEUS, auspiciis succedant omnia bonis,

Sit bonus introitus; exitus atque bonus.

Hicce paucissimis lincolis Clar. DN. Resp. Fautoris ac Amico suo certissimo gratulari, memoriamq; sui commendare voluit.

OPPONENS

LAURENTIUS HARTWICH RAVE

Ystad - Scano - Svecus,

### MONSIEUR.

Tous ceux, qui ont l'honneur de vous connaître, ne sont que trop persuadés de votre étude insatiable, &c. mais je m'assure d'aujourd'hui assés les beaux talents de votre esprit; Ceux qui n'ont pas ce même honneur là, seront contraints de l'admirer dans vos écrits. Je ne doute pas, Monsieur, que non seulement vous vous acquerrez par là, l'estime de tout ce qu'il y a d'honnêtes gens au monde, mais, vous pourrez être très-assuré, que vos veilles vous seront un jour récompensés selon vos merites, par les honneurs, qui vous conferera votre Chere Patrie, Et c'est ce que souhaite de voir bientôt

### MONSIEUR

Votre très humble & très affectionné, Serviteur,

T. B. de RAPPOLT.

S Omnia Spinoſa ſolidè male ſana refutas,

Improba fac melius, ſi potes, invidia,

Macte animo forti; ſic præmia digna negabit

Nunquam Coeſis Gratia, ſumma dabit.

Ita clare - Docti DN. Respondentis Amici ac Fautoris ſui honoratissimi laudabilibus eonatibus applaudit

OPPONENS

TORERUS SCHALROT H,

Wester-Goth-Svecus SS. Theol. Stud.

Cœl. diss. A. 84, mil. 28